

gratia Boemie rex ac Lucemburgensis comes [notum facimus] tenore presencium universis, quod, quia iam dudum dilecto fideli nostro Henrico de Kytlicz super confirmacione bonorum feuda[lium], [quas] in terris nostris Budissensi et Gorliczensi possidet, litteras nostras concessimus, quae post hac, prout de certo informati sumus, per [incendii] voraginem sunt consumpte, propter quod ipse Henricus de Kytlicz nostras litteras¹ denuo nobis supplicavit, ut de speciali gratia [sibi] litteras nostras innovare et reiterare dignaremur, nos nonnulla servicia fidelia nobis exhibita et in antea prompta [exhibenda] benigno pensantes affectu predictas litteras per modum subsecutum duximus innovandas concedentes sibi, quod si Iohannes de [Kytlicz] frater suus viam universe carnis absque heredibus legitimis ingressus fuerit, tunc idem Henricus legitimus successor omnium [bonorum], que reliquerit, existat et nichilominus bona villas allodia et predia videlicet villas Kytlicz, Wal, Cotwitz cum [attinenciis] ibidem, Trustewicz, Radmericz, allodium in villa Opal, allodium in villa Rosinhayn, bona in villa Lic cum molendino ibidem in districtu Budissensi sitas et sita et villas Zcobelusk et Herwigisdorf in districtu G[orliczensi] sitas ipse Henricus de Kytlicz et heredes sui a nobis et heredibus nostris regibus Boemie in pheudum et iure feudi, prout eorum pre[decessores] marchiones terre Brandenburgensis multis retroactis temporibus tenuerant, libere teneant et possideant ac de bonis ipsis nostri s[int vasalli] addicientes, quod ipsi plenam iurisdictionem in bonis prefatis habeant et quod ad nulla pecunialia onera vel subsidia aut cont[ributiones] exactiones seu petitiones quas-cumque faciliores esse non debeant obnoxii vel astricti, cyppum quoque et patibulum pro male[factoribus] iudicandis ubicumque in bonis antedictis instaurare et locare poterunt pro ipsorum libito voluntatis iure pheudali [nobis] et successoribus pertinente semper salvo inclusis servitiis nobis debite exhibendis promittentes prefatum Henricum in ipsa [gratia prout] pre-mittitur facta favore conservare mandantes etc. In cuius rei etc. Datum Wratistlawie feria III post dominicam misericordia [domini], anno domini M^oCCC^oXLV^o. Nos itaque ad supradicti fidelis nostri Henrici supplicationis instantiam, presertim cum iuste petentibus n[on est] denegandus assensus, supradictas litteras in omni suo tenore de verbo ad verbum, prout scripte sunt, de certa scientia approbamus ratificamus et de [speciali] nostre celsitudinis gratia confirmamus. Datum

1) So im Register; die Worte 'nostras litteras' sind wohl irrtümlich an diese Stelle geraten, da sie hier sinnlos sind.